

Henning Wegner Christoph Mussin

**Disputatio VI. Ad I. Impensae. 79. & seqq. usque ad I. 101. Tituli XVI. lib. L.
Pandect. De Verborum Et Rerum Significatione**

Regiomonti, 1618

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769826946>

Druck Freier  Zugang





V. N. — 2 (100.)

1. Mollenber de duobus testamentis simul validis.
2. Caroc de investigando definiendoque statu causae forensis.
3. P. Müller de libris officialium, autli vngi str.
4. Stanting de curatore ad litem.
5. Stryci de juramento purgatorio in causis civilibus.
6. Stryci de domicilii mutatione.
7. Radou. de subfeudis.
8. Bünsow de jure deactionis et emigrationis.
9. Stryci de matrimonio ex ratione status.
10. Beckmann de libris aetatis.
11. Bursfeld de tituli invalidi convalidatione.
12. von Aoweloe. de praerogationibus.
13. Both de anatopis rno.
14. Charivius de dolo.
15. Charivius. de culpa.
16. Willebrandt. de senatusconsulto macedoniano.
17. Ranger de masculorum conditionibus melioribus in jure.
18. Rahne de jure protinereos.
19. Ranger de concurren actionum.
20. Ranger de eo quod iustum est circa consilium.
21. Pauli de immunitate et foro philosophorum.
22. Radou. de furtis.
23. Büttner de torturis et tormentis.
24. Krafft de concursu iudicii civilis et criminalis in causis ultimi supplicii
25. Meyer de iudicio in crimine magiae quoad torturam reprobatis et approbatis.
- 26-2. Wegner de verborum significatione disput. 1-1x.
27. Cleemann de reciproca cohaerendum substitutione
28. Eichrod de vi rei iudicatae.
29. Wincoep de revocanda divisione hereditaria.
30. Reinhardt. de successione fidei.
31. Banfa de usuris ultra alterum tantum.
32. Schroeter de commodo vel incommodo ex alterius persona accidente, quod ex sua non habuisset.
33. Schroeter de reformatione iuris civilis circa causas matrimoniales a Romanis pontificis per ius canonicum perverse tentata.
34. Streit de actione quae ex mala munieris administratione competit.

35. Gribner de fidejussore mulieris apud Saxones sine curatore contrahenti.
36. Beckmann de patria potestate.
37. M. Graf de jure tutorum.
38. Klünger de dote.
39. Werner de jure emphyteutico.
40. Streit de repudio et divortio.
41. G. Engelbrecht de successione ab intestato et honorum possessione.
42. J. L. D. Böhm de filio vasalli successore in feudum.
43. de Khevenhüller ab Aichelberg de eligendo Romanorum rege.
- 43². de Bellmont de academia Erfurtana.
44. Spoenla de foro ac privilegiis practiciantium in camera imperiali.
45. Kestner de jure humaniore Codicis.
46. Schroeter de relaxatione juramentorum.
47. Schroeter de probatione per testes et praesumptiones itemque juramentis
to judiciali et necessario in processu executivo locum habente.
48. Brückner de favore ultimarum voluntatum.
49. Schroeter de principum recriptis eorumque usu moderno.
50. Sahne de jure numeri septenarii Bon. Vuff sur subaudius Zaff.
51. Wolpmann de eo quod justum est circa contractus noviter introductos.
52. Scherbaum de pariete communis ejusdemque jure.
53. Schmidt de denunciatione e suggestu.
54. Schulz de eo quod justum est circa parochianos.
55. Ludovici de eo quod justum est circa campanas.
56. Streit de quatuor quartis.
57. Napoo de impensis in rem alienam a b. et m. f. possessore factis.
58. Schott. de uxore desertivae dote sua esse regula quidem, non tamen
semper privanda.
59. Bauer formulam, qua pecunia dotalitium serviens vidua mortua
in feudum ad filios reverti jubetur, fideicommissum non inferre.
60. Riccio de conventionione obligationis debitoris ad carcerem in omni
ra debiti.

DISPUTATIO VI.

*Ad l. Impensa, 79. Et seqq. usque ad l. 101.
TITULI XVI. lib. L. Pandect.*

DE VERBORVM ET
RERVM SIGNIFICA-
TIONE.

Quam

Dei iuvante gratiâ

Sub præsidio

HENNINGI WEGNERI, J.U.D.

& Professoris primarii

In Academia Regiomontana

Publicè tuebitur

CHRISTOPHORUS MUSSINUS

Lubenâ-Lufatus, publicus Academiae præ-
dictæ immatriculatus Notarius.

die 6. Octobr.



REGIOMONTI,

Excudebat Iohannes Fabricius, Anno 1618.



VIRIS

Nobilissimis, Clarissimis & Consultissimis

Dn. BERNHARDO DERSCHO-
VIO, S^r R^r M^{ris} Poloniae & Sveciae
fisci, nec-non Curiae Ducatus Prussiae
Advocato vigilantissimo.

Dn. CHRISTOPHORO WEGNE-
RO, U. J. D. & Ser^{mi} Principis Ele-
ctoris Brandenburgici &c. Fⁿⁱ nostri Cle-
mentissimi Consiliario fidelissimo.

Dn. CHRISTOPHORO NAPSIO
&

Dn. CHRISTOPHORO MARTINI
prae^{dic}tae Ser^{me} Electoralis Cels^{nis} Se-
cretariis integerrimis.

*Dominis Patronis Fautoribus & Promo-
toribus suis plurimum colendis.*

*Presentem disputationem
debita gratitudinis ergo*

dedicat & offert

Christophorus Mussinus.

Impensa necessaria sunt, quæ si facta non sint, res aut peritura, aut deterior futura sit. §. 1. Viles impensas esse Fulcinius ait, quæ meliorem dotem faciant, deteriorem esse non sinant, ex quibus redditus mulieri acquiratur: sicuti arbusculi pascinatione ultra quàm necesse fuerat: item doctrinam puerorum; quorum nomine onerari mulierem ignorantem, vel invitam, non oportet; ne cogatur fundo aut mancipio careere. In his impensis & pistrinum & horreum, in iule dotali adjectum, plerumq; dicemus. §. 2. Voluptuariae sunt, quæ speciem duntaxat ornant, non etiam fructum augent; ut sunt, viridaria, & aquæ salientes, incrustationes, loricationes, pictura.

Dum Paulus ipse in h. l. n. dotis mulieris mentionem facit, apparet materiam de impensis fuisse causis dotium ab ipso applicatam. Sed Justiniani intentio videtur, impensarum significationem simpliciter hîc tradendam, & mulieris mentionem loco exempli accipiendam, prout usus huius doctrinæ etiam alibi quàm in dote reddenda conspicitur. §. ex diverso. 30. Inst. de R. D. l. in fundo. 38. de R. V. Quæstio de impensis alia de ipsarum definitione est, alia, quæ à quibus præstentur. Hæc est alterius loci, nec à Paulo hîc nisi incidenter in utilium impensarum explicatione proponitur. Illa huc principaliter pertinet. Distributio in impensas necessarias, utiles & voluptuarias ex h. l. n. evidenter colligitur, & verbotenus proponitur in l. 1. de impens. in res dotal. fact. Singularem specierum definitiones certæ sunt, sed exempla non perpetua: quippe quæ ex facto pendunt, & pro diversitate circumstantiarum modò huic, modò illi definitioni conveniunt. arg. l. quod si heres. 10. de impens. in res dot. fact. Necessarias impensas Ulp. in d. l. 1. §. 1. definit, quæ habent in se necessitatem impendendi. Necessitatem Paulus in h. l. n. declarat hanc esse, ut si impensæ non fiant, res pereat, aut deterior fiat. Videtur Ulpianus necessarias impensas subdistingvere in illas, quæ ad perpetuam rei ipsius utilitatem, & quæ fructuum quærendorum, cogendorum, conservandorum gratiâ fiunt. in l. 3. §. fin. d. tit. l. si à domo no. 36. §. fin. l. 38. in pr. de hered. petit. videatur etiam Menoch. 2. de arbitr.

jud. quest. 258. n. 23. & seqq. Exempla necessariarum impensarum proponuntur in d. l. 1. 2. 3. 4. l. 14. & 15. de impens. in res dot. fact. Utiles & voluptuariz impensarum communiter definiri possunt, quarum nulla est impendendi necessitas d. l. 1. §. 1. d. tit. quæ rem non deteriore esse non faciunt. h. l. n. id est, quæ non faciunt quominus res fiat deterior. Gædd. hic n. 5. In specie utiles impensarum sunt, quas quis facit utiliter. l. quod dicitur. §. §. fin. d. tit. utilitas in eo versatur, ut res fiat melior, ut ex utilibus impensis reditus acquiratur. d. l. §. §. fin. h. l. n. Exemplorum hic propositorum primum est arbuti pastinatio, ultra quàm necesse fuerat. Arbustum vinea est arboribus maritata. Cujac. hic. est locus, quo certo ordine arbores vitium causâ plantantur. Alciat. hic. n. 3. Pastinum ferramentum bifurcum est: & pastinare est eiusmodi instrumento fodere. Alciat. d. loc. Arbustum, quod vitibus constat, bis in anno pastinandum necessario, reliqua semel, docet Gædd. hic. n. 2. vide Coler. lib. 4. Oeconom. c. 4. 21. & seqq. Inde Paulus hic non quamcunque pastinationem refert ad utiles impensas; sed eam, quæ fit ultra quàm necesse fuerat, veluti tertiam & ultiores. Secundum exemplum est doctrina puerorum. Per pueros non filios intellige, quos ut homines liberos liberaliter educari, & in liberalibus disciplinis erudiri necessarium est. l. de bonis. §. non solum. §. de carbon. edict. l. qui filium. 4. ubi pup. educ. deb. Menoch. d. loc. n. 14. Sed servos. l. pueri appellatio. 204. h. tit. l. veluti. §. de impens. in res dot. fact. quorum conditio eruditionem non desiderat; quanquam eruditi rebus agendis sint aptiores, & proinde pretii majoris. Gædd. hic. n. 3. Pistrinum & horreum tertii & quarti exempli loco proponit, ut & in d. l. veluti. §. de impens. in res dot. fact. Sed Ulp. in l. i. eod. tit. refert inter impensas necessarias. Alciat. hic. n. 8. distinguit inter fundum magnum & frugum feracem, ut in illo extractio pistrini & horrei sit necessaria impensa: & fundum modicum, in quo sit tantum utilis. Sed magis est, has impensas regulariter utiles esse, quod in h. l. n. denotat verbum plerumque: posse autem quandoque fieri necessarias, si fundus horreo & pistrino carere non possit. Unde Ulp. in d. l. i. pistrinum & horreum non simpliciter necessarias impensas dicit, sed inter necessarias haberi tunc, cum necessario fiunt. Quando autem necessario fiant necesse, facti est questio, iudicis arbitrio committenda. Traquet. de re
tradi:

tracti: conf. §. 15. gl. 1. n. 25. Voluptuariae impensae sunt, quibus nec o-
missis deterior, nec factis melior res fit, sed quae ad voluptatem tan-
tum sunt, & speciem duntaxat ornant, non etiam fructus augent.
h. l. n. l. voluptuariae. 7. de impens. in res dot. fact. Harum exempla sunt
viridaria, seu loca virentia amoenitatis causâ parata, l. quoties. 15. de
servit. l. si cuius. 13. §. fructuarius. 4. de usufr. l. in instrumento. 8. de instr. fund.
leg. aquae salientes, seu artificio in altum derivatæ: Gædd. hic. in-
crustationes, quæ sunt parietum testoria ex crustis marmoreis, Al-
ciat. hic. seu crustæ subtiles, quæ muris subinducuntur: Menoch. d.
lo. n. 19. loricationes, quæ ex sententia Alciati superficies est inte-
gendi causâ ex calce & arena: quod sequitur Gædd. hic. §. 2. n. 4. Me-
nochius autem autoritate Vitruvii putat esse tavellas, hoc est, co-
ctos lateres subtiles satis, quibus Patavii & Venetiis testâ calce ad-
hibitâ teguntur, deinde tegulæ seu cuppi superimponuntur. Sed
ex Vitruvio lib. 6. Cujac. hic. benè ostendit, loricationem significare
texturam & polituram tabularum, seu tabulas, quibus parietes vel
contignationes exornantur. Picturæ etiam in voluptuariis im-
pensis recensentur L. utiles. 39. §. 1. de hered. pet. Sed contingit volu-
ptuarias interdum fieri utiles, veluti si res, in quibus impensæ fa-
ctæ sunt, fuerint præmercales d. l. quid si. 20. de impens. in res dotal. fact.
item si in prædio urbano cœnacula locari solita, quò pluris locen-
tur, picturis exornentur. Alciat. hic. n. 9.

Ad l. In generali. 80.

*In generali repetitione legatorum etiam data libertates con-
tinentur, ex mente legis duodecim tabularum.*

Nequaquam Dominus de re sua, domini jure, post mortem
suam disponere potest. quippe in rebus humanis mortuus esse desi-
nit: non-entis verò nullæ sunt qualitates. Sine domino reverâ
non est dominium; & sine dominio non fiat domini effectus.
Quoad privatum privati hominis dominium, bona defuncti in
nullius bonis sunt. l. 1. in pr. de Rer. divis. In dominio quidem repu-
blicæ universali & jurisdictionali manent: sed id non est privati,
ut ex eodem privatus de illis tum, cum non est amplius dominus,
disponere, aut dispositio eius tenere possit. Eapropter opus fuit
lege, qua ipsa hæreditas loco domini constitueretur. l. nihil. 24. su-
pra

pra. h. tit. quæ deinde vel certis personis certâ ratione deferretur; vel ipsimet defuncto heredes nominare potestas fieret. Inde & testamenti factio dicitur esse juris publici l. 3. qui test. fac. poss. in tantum, ut deficiente benigna hac legis concessione, bona mancant in reipub. dominio absoluto & fiant caduca. tot. tit. de bon. vacant. Lege verò XII. tab. latissima disponendi potestas tributa est l. verbis. 120. infra. h. tit. Latissima potestas non tantum in verbis, sed etiam in re. Utitur verbo legandi latissimè, pro qualibet dispositione ultima, pro heredis institutione, tutelarum constitutione, rerum singularium, & libertatum concessione. d. l. 120. Ideò utitur verbo legandi, ut ostendat non esse hunc actum hominis privati, sed legis, cuius virtute valeat, & effectum sortiatur, ut legare sit, tanquam lege agere. Coedd. ad d. l. 120. Latior autem potestas est in re ipsa, dum jus esse vult, uti quisq; legasset, id est qualitercunque, & quomocunque disposuerit, Sed hæc ipsa postmodum sunt coangustata, cum in verbis, tum in re. In verbis, dum legati verbum tantum intelligitur de titulo singulari, & donatione à defuncto relicta. §. 2. inst. de legat. l. legatum 116. de leg. 1. Non quidem eâ ratione, quòd heredem instituens aut tutorem nominans, non lege agat, seu leget: sed quod hæc species nomina propria acceperint, & ita nomen generis singularibus legatis pro specifico reliquerint. In re etiam legandi potestas valdè restricta, tum in ipsius testatoris persona. tot. tit. inst. qui test. fac. poss. tum in forma, seu extrinseca, §. 1. & seqq. inst. de testam. seu intrinseca; tot. tit. inst. de exhered. lib. de hered. qual. & diff. §. sed olim. 2. inst. de legat. tot. tit. ad leg. Falcid. idq; ipsorum testatorum gratiâ provisum est, & propter testamentorum sinceritatem, ut nulla fraus adhibeatur. §. sed his omnibus. 4. inst. de testam. §. 1. inst. ad leg. Falcid. Quæ ita tamen sunt exaudienda, ut in quantum legi XII. tab. non reperitur derogatum, in tantum adhuc duret arg: l. precipimus. C. de appell. At quantum ad libertatem, testamento relictam & repetitam, derogatum est, nec in nomine, nec in re. Nam cum testator titulo singulari servo suo libertatem dat, utique de sua re, servo suo, lege egisse, legis autoritate eum libertate donasse, rectè dicitur, & libertas data legati nomine comprehendetur. Deinde cum specialiter & generaliter legata repetere nulla lege testator prohi-

prohibeatur, manet in legatorum repetitione libera testatoris voluntas ex lege XII. tab: & libertates etiam in generali legatorum repetitione continentur, ex mente legis XII. tab. *h. l. n. l. cum in substitutione 77. de leg. 3.* idem ex mente legis XII. tab: quia expresse de legatorum & libertatum repetitione in eadem nihil cautum erat: Generaliter tamen comprehendebatur, dum facit lex potestatem legandi liberrimam, prout quisque vult; ergo si quis velit, etiam legata & libertates repetendi. Repetitio legati est eiusdem reiteratio, verbis aut generalibus, aut specialibus facta. *Gædd. hic. 12.*

Ad l. Cùm Prætor. 81.

Cùm Prætor dicat ut opus factum restituatur, etiam damnnum datum actor consequi debet: nam verbo restitutionis omnis utilitas actoris continetur.

De hac lege dictum sub l. plus est. 22. supr. h. tit.

Ad l. Verbum Amplius. 82.

Verbum amplius ad eum quoque pertinet, cui nihil debetur: sicuti ex contrario minus solutum videtur, etiamsi nihil esset exactum.

Quemadmodum minus solviffe dicitur, qui nihil solvit: cùm minus nihilo esse non possit, & nihil sit omnium minimum: ita ex natura contrariorum & correlatorum, amplius exegisse dicendus erit, qui exegit aliquid, cùm nihil ei deberetur. Id enim quod exigit, eo quod exigere debebat amplius est, nihilo scilicet. *l. 1. §. hæc verba. 11. Si cui plus quàm per leg. Falcid. l. amplius non peti. 17. ratum rem hab. addantur dicta ad l. minus. 32. supr. h. tit.*

Ad l. Propriè. 83.

Propriè bona dici non possunt, quæ plus incommodi quàm commodi habent.

Explicatio pendet ex dictis ad l. princeps. 21. supr. h. tit.

Ad l. Filii. 84.

Filii appellatione omnes liberos intelligimus.

Explicata est hæc lex sub l. nurus. 50. supr. h. tit.

Ad

Ad l. Neratius. 85.

Neratius Priscus tres facere existimat collegium, & hoc magis sequendum est.

De Collegiis est tit. in D. quod cuiusq; universitatis nomine. & tit. de collegijs & corporib. Collegium accipitur dupliciter. Primò accipitur pro certo corpore, universitate, societate, conventiculo, commilitio. Alciat. hic. n. 2. qualia sunt Jctorum, l. 2. C. de vet. jur. enucl. Medicorum, tot. tit. C. de Profess. & medic. lib. 10. Coedd. hic. pistorum, Cujac. 16. O. 5. & aliorum artificum. Coras. cent. 1. Sctorum curie Tolosane. c. 55. In ea significatione nomen collectivum est, & ad eius constitutionem ad minimum tres requiruntur. h. l. n. arg. l. detestatio. 40. in f. sup. h. tit. semel tamen rectè constitutum in uno servatur. l. sicut. 7. S. ult. quod cuiusq; univers. nom. quia sc. ex eo universitas redire potest, & proinde quàm diu hæc spes superest, potius naturæ suæ conservatur, quàm in aliam transfertur. arg. l. si unus. 27. S. pactus. 2. vers. quod si non ut totum. de pact. l. si grege legato. 22. de leg. 1. Hort. ad S. si grex legatus. Inst. de leg. Secundò collegium refertur ad eandem potestatem & officium, & collegarum appellatione hi continentur qui sunt eiusdem potestatis. l. collegarum. 173. infr. h. tit. etiam si tantùm duo sint. l. un. de off. cons. l. Lucius. 48. S. pen. de admin. tut. l. 2. C. de legat. lib. 10. Coedd. ad. d. i. 173.

Ad l. Quid aliud. 86.

Quid aliud sunt jura prædiorum, quàm prædia qualiter se habentia? ut bonitas, salubritas, amplitudo.

Verba huius legis antiquis Interpretibus visa esse veluti folia Sybillæ ait Cujac. hic. Coeddæus putat quæri hic, quid sint prædia, qualiter se habentia? contra manifesta verba Jcti, qui quæstionem disertè proponit de juribus prædiorum. Nec in specie quærit de servitutum definitione: sed generaliter prædiorum juribus: Cujac. 9. O. 37. contra Fornerium. Definit verò jura prædiorum, non quòd sint prædia æqualiter se habentia, ut emendat Alciat. hic. cum exempla subiecta qualitates sint; æqualitas verò quantitatem denotet. l. nam satis. 6. vers. nec multum refert æqualiter. quemadmodum serv. amitt: Sed ait, nihil aliud esse, quàm prædia qualiter se habentia. In qua definitione duplex difficultas, Una est, quòd adjunctum videatur defini-

niri

niri per ~~...~~ am, contra regulas Logicorum: cum jura prædio-
rum non sint ipsa prædia. Sed non simpliciter Jctus prædia dicitur,
sed prædia qualiter se habentia; esse certas qualitates, certum re-
spectum in prædiis. Eodem sensu Jstitia definitur constans &
perpetua voluntas, pro voluntatis perpetuæ constantia *pr. Inst. de*
I. & I. Familiæ dicuntur esse plures personæ, pro personarum plu-
ralitate. *l. pronuntiatio. 195. §. familie. 2. de V. S.* contra relligio, pro
religionis contemptu. *l. 2. C. de reb. ered.* Quod loquendi genus nec
inuitatum, nec carens sua ratione. Jcti enim finis actio est, non
nuda speculatio. *§. juris præcepta. 4. Inst. de I. & I.* Proinde ne acci-
dentia quidem Jctis in abstracto considerantur, sed qualiter reve-
râ suat, in concreto sc. Atque ut intelligeretur non abstractè acci-
dentia à Jurisprudente considerari, maluerunt taliter definire, qua-
liter essent, ergò qualiter insunt subjecto: cum sine subjecto non
sint. Imò etsi Jcti quandoque in abstracto loqui videantur, tamen
ex natura materiæ subjectæ id in concreto est intelligendum, *ut in lo-*
certo generi agrorum. 13. pro agris certi generis. de servit. præd. rust. & vi-
biculi certum genus, pro vehiculo certi generis. in l. is cui via. 11. quemadm.
ferr. amitt. Altera difficultas est in eo, quòd jura prædiorum sine a-
liqua additione dicat qualitates: cum tamen naturales prædiorum
qualitates non sint prædiorum jura. Cujacius etiam naturales qua-
litates inter jura prædiorum refert: quòd non probo. Naturales
enim qualitates, veluti bonitas, salubritas, amplitudo, prædiis ad-
hære possunt, etsi nemo hominum extet: cum tamen omnè jus
hominum causâ constitutum sit. *l. cum igitur. 2. de statu homin.* Natu-
rales prædiorum qualitates pertinent ad naturalem potentiam vel
impotentiam: juridicæ qualitates non à natura adhærent, sed à ju-
re sunt impostæ, & pertinent ad habitum seu agibilem aut passibi-
lem qualitatem. Verius ergò est, Jctum jura prædiorum explicare
per genus & oppositionem speciei contradistinctæ: ex quo de hac
ipsa specie potest constare. Genus prædiorum est qualitas, quæ vel
naturalis est, vel juridica. Naturales qualitates sunt bonitas, salu-
britas, amplitudo. *Cæd. hic n. 2. 3. & 4.* Hæ naturales qualitates, non
sunt exempla aut species jurium prædiorum, sed prædiorum in ge-
nere qualiter se habentium, quæ quoad jura prædiorum similitudi-
nis & explicationis gratiâ adferuntur. In juridicis prædiorum qua-
litatibus

B

litatibus

*jan factis
subjectum*

*De gen. f. d. u.
specie n. 1. 2. 3.*

litatibus genus explicari sufficebat; cum formale ex ipso definiti
nomine intelligeretur, esse se: pradia qualiter ex jure se habentia,

Ad l. Vt Alphenus. 87.

*Vt Alphenus ait, urbs est Roma, que muro cingeretur. Ro-
ma est etiam, qua continentia adificia essent: nam Romam non
murotenus existimari; ex consuetudine quotidiana posse intelligi,
cum diceremus, Romam nos ire, etiam si extra urbem habitaremus.*

Hec lex explicata est ad l. 2. sup. h. t.

Ad l. Tantum quisq;. 88.

*Tantum quisq; pecunia relinquit, quantum ex bonis eius re-
fici potest. Sic dicimus, centies aureorum habere, qui tantum in
pradiis ceterisq; similibus rebus habet. Non idem est in fundo a-
lieno legato, quanquam is hereditaria pecunia parari potest; neq;
quisquam eum, qui pecuniam numeratam habet, habere dicit, qui-
quid ex ea parari potest.*

De hac lege dictum ad l. pecunie. 4. sup. h. tit.

Ad l. Boves. 89.

*Boves magis armentorum, quam jumentorum generis ap-
pellantur.*

*Jumenta sive à juvando dicantur, ut vult Columella lib: 6. sive à
jungendo, ut Sextus Cecilius apud Gellium. 20. noct. attic. 1. rectè tamen,
boves jumenta dici videbatur; cum ipsi quoque hominum labores
& operas arando juvent, & simul aratro jungi soleant. Jctus ta-
men in h. l. ait, boves magis armentorum, quam jumentorum gene-
ris appellari: & alibi etiam definitur, legatis jumentis boves non
cõtineri l. legatis. 67. §. jumentis. 7. l. servis. 81. §. pecudib. 2. de leg. 1. 3. Ar-
bitror quod generi species deroget, & id prævaleat, quod magis ad
speciem directum est: *Lim toto, de R. armenti autem specialior sit,*
*quod in specie arnis, i. e. humeris juvent & jungantur, colloque &
cervice tantum domeantur. Qua ratione generis nomen mansit aliis
jumentis, quæ non ita arnis, id est, humeris potissimum oneri in-
cumbunt, & dorso domeantur, Gæd l. hie. n. 2. Possunt tamen boves et-
iam sub grege cõtineri, si se gregatim pascatur. l. si grege. 21. de leg. 1.**

Ad

Ad §. Hoc sermone. 1.

Hoc sermone, dum nupta erit, prima nuptia significantur.

Promissisti Sempronie decem, dum nupta erit. Primis solutis, transit ad nuptias secundas. Quæritur an tua promissio sic exaudienda sit, ut pertineat ad primas tantum, an etiam ad secundas? JCrus hic definit, primas tantum significari. Et ita, cum dotis constitutioni semper hæc conditio insit, dum uxor marito nupta sit, neque dos sine matrimonio esse possit. l. 3. de jure dot. illi consequens est, cautiones de dote intelligi de nuptiis primis tantum l. stipulationem. 21. & seq. l. dotis promissio. 68. de jure dot. l. inter socerum. 26. §. pater. 5. de pact. dot. l. cum pater. 77. §. pater certam. 9. de leg. 2. An idem, quod sermo simpliciter prolatus intelligatur de actu primo? Sed hoc axioma non est perpetuum, & multas recipit limitationes. de quib. Tiraquell. in tract. ad. h. §. n. p. 2. per tot. Alciat. hic. n. 3. & seqq. An quod primæ nuptiæ sint secundis honorabiliores & favorabiles magis? Tiraquel. d. tract. p. 1. n. 141. & seqq. Et tamen hic de honore & favore nuptiarum non quærimus, & secundò nupta æquæ nupta est ac prima; ut ei secundarum nuptiarum odium ob stare non deberet: cum non sit additum, dum favorabiliter nupta fuerit. An, quod primis nuptiis solutis. verba cessent. Amplius enim nupta non est: & quod semel desit, rursus non convalescat? ut putat Alciat. hic. n. 2. Quod mihi valdè probatur, cum ipse JCrus noster in nullo alio, quàm ipso sermone & verbis, rationem ponere videatur, dum inquit: hoc sermone. Et si enim particula, Dum, denotet continuationem temporis, & significet tantundem, quantum donec & quamdiu: Alciat. d. n. 2. ista tamen continuatio unius actus est, qui actus, ut suis modis inchoatur, ita etiam certis modis perficitur & finitur, nec alio separato actu & novo superveniente redintegatur; cum semel extinctus fuerit. Aliud dicendum, si non esset actus unus, sed plures, qui solo proposito exercentis conjungi & continuari possunt. l. si quis ita. §. de condit. & demonstr. j. l. possideri. 3. §. 1. §. Nerva filius. 13. de acquir. poss.

Ad §. Inter edere 2.

Inter edere & reddere rationes, multum interest; nec is, qui edere iussu sit, reliquum reddere debet. Nam & argenta-

rim edere rationem videtur; etiamsi quod reliquum sit apud eum, non solvat.

Quę differentia sit inter cognoscere & dispungere rationes explicatum supra in *l. cognoscere. 56.* Hic tractatur, quę sit inter edere & reddere: hoc plus, illud minus est. Edere ad maximum est, etiam describendi copiam facere, vel in libello complecti, & dare & dictare. *l. 1. §. 1. & tot. tit. de edendo.* Et tenetur argentarius rationes suas etiam extraneis edere, sed non reddere: *l. argentarius. 10. eod.* Reddere enim est etiam data & accepta conferre, & reliquum seu residuum solvere; & rationes reddere iustus, intelligitur summam pecunię, quę ex reliquis colligitur, iustus dare. *l. qui libertatis. 69. §. servus. 4. de epist.* Consequenter, cum sine rationum editione de reliquo constare non possit, rationes reddere iustus, non videtur satisfacere, si reliquum reddat, non editis rationibus. *l. non solum. 8. §. is qui reddere. 5. de lib. leg. Goth. hic.*

Ad *l. Qui uti optimę, 90.*

Qui, uti optimę maximę sunt, ades tradit: non hoc dicit, servitutem illis deberi: sed illud solum, ipsas ades liberas esse, hoc est, nulli servire.

Quod in hac lege de ædibus traditis proponitur, id ad prædia quælibet, ad emtiones, stipulationes, & testaments porrigitur in *l. non tantum. 69. infr. h. tit.* Prædiorum complures species, de quibus in *l. ager. 27. sup. h. tit.* Substantia prædiorum in jure, seu qualitas fundamentalis, forma & natura juridica, arg. *l. 3. de O. & A.* est ipsa proprietas *l. questio. 115. infr. h. tit.* quę Substantia qualitatibus advenientibus augeri & minui potest: augeri quidem, si quod jus huic in prædium aliud quæratur: minui verò, si ipsum alteri serviat. *l. quid aliud 86. sup. h. tit. tot. tit. de servit. prædior.* Quare prædium potest tripliciter considerari. Primò in propria sua natura, quatenus nec servit, nec servitutem in alio habet. Secundò quatenus servitutem debet. Tertio quatenus ipsi servitus debetur. Venditò igitur, legato, aut promisso prædio, quale præstandum erit? Et quidem si nihil additum sit, tale, quale esset, præstari oportere ex *Q. Muti* sententia tradit *Celsus in h. cum vendes. 79. de contrah. emt.* & servitutes ex sententia *Venulei* tacite sequuntur & accedunt. *l. pen. de emt.* Quid

Quid autem si addatur, uti optima, maximaq; essent, vendi, promitti, legari, aut tradi? Num particulam (uti) pro *quomodo*, vel *prout* accipiemus, ita, ut prædia qualiacunq; sint, seu libera, seu serva. præsentur? Quod tunc procederet, quando simpliciter adiectum reperiretur, uti essent. Nunc modus istâ particulâ expressim additus, sc: ut sint optima maxima, necessariò debet intelligi. Id autem, cui aliquid imminutum est, utiq; non erit optimum maximum simpliciter. Ista verba, optimus maximus, agrum, fundum, seu proprietatem denotant non-imminutam, denotant prædium liberum. *h.l.n.* Nisi huic modo alius modus adjiciatur, quo ille per hunc ad certam personam vel conditionem restringatur, veluti si fundus detur, uti optimus maximusq; esset: & adjiciatur, jus fundi deterius factum non esse per dominum: Clausula posterior priorem restringit ad personam dantis, ut intelligatur optimus maximus, non simpliciter, sed respectu domini, qui cum potuisset, non tamen imminuit jura fundi, sed talem, qualem accepit, tradit, per se dominum, optimum maximum. *l. si cum fundum. 126. infr. h. tit.* Sin nil tale addatur, simpliciter etiam fundus ab omni servitute liber præstandus est. Idem dic de alia obligatione fundum afficiente, veluti ex muneribus publicis orta. *Aretin. cons. 105. in f. Alciat. ad l. 169. infr. h. tit.* An etiam servitutes, quæ fundo debentur, aut deberi possunt? Et Juri respondent quod non. *d. l. 169. infr. h. t. d. l. pen. de evict.* Rationem puto, quod ista verba referantur ad fundum aut prædium ipsum, cuius natura in sua libertate absolvitur. Servitutes autem, quæ debentur, impositæ sunt qualitates, quæ non pertinent ad prædii ipsius substantiam *d. l. quid aliud. 86. sup. h. tit.*

Ad l. Meorum. 91.

Meorum & tuorum appellatione actiones quoque contineri dicendum est.

Meum est, quod in meis bonis est; tuum, quod in tuis. *l. nam quod. 14. §. fin. & l. seqq. l. si legatus. 30. §. si quis bona. i. ad So. Trebell.* In bonis autem etiam actiones sunt. *l. bonorum. 49. sup. h. tit.* Et per actiones etiam res ipsæ, nostræ videntur. *l. id apud se. 143. infr. h. tit. l. si qui actionem. 17. de R. I.* Proprie tamen aliud actio ad rem est, aliud res ipsa. *l. minus est. 204. cod. tit.* Et inde, qui argentum suum legat non

videtur legare id, quod in credito est: id enim non propriè ipsius est. *l. quintus. 27. §. argento. 2. de auro & arg. leg. adde dicta ad l. 21. l. 20. supr. h. tit. Alciat. hic.*

Ad l. Proximus. 92.

Proximus est, quem nemo antecedit: Supremus est, quem nemo sequitur.

Propior, proximus; superior, supremus; sunt nomina ordinis, cujus natura est, ut aliud sit quod subordinatur, ab eo, cui subordinatur, *Picolom. grad. 1. moral. philos. c. 15. & 16.* Igitur indubitè duo termini ponendi, alter ad quem, alter à quo. Oportet enim alium esse, cui quis proximus aut supremus dicatur: veluti in successibus, defunctus est, de cuius herede proximo, vel summo quæri solet. *§. si plures. 5. Inst. de legit. agn. success.* Hæc una relatio est inter terminum à quo & terminum ad quem. Sed sapiunt ista verba etiam relationem aliam ipsorum terminorum à quibus inter sese. Etenim proximus non tantum dicitur quoad illum, cui est proximus; verum etiam alium requirit, quò sit ita propior, ut sit etiam proximus: ita quoque supremus dicitur, non tantum quoad illum, cui supremus est; sed quoad alium, qui eum præcesserit: ut ita proximus sit veluti medium inter duo extrema; postremus, extremum posterius, præsupponens medium, & extremum præcedens. *arg. l. uti autem. 75. §. usque adeo. 2. de v. o.* Sic sumitur comparatio posterioris ex priori, & prioris ex posteriori. *l. qui duos im puberes. 9. in pr. de reb. dub.* Et proximus propriè ex pluribus gradibus intelligitur. *d. §. si plures. 5. in f. Inst. de legit. agn. success.* Ut sc: antecedentem removeat, sequentem præsupponat: ex diverso supremus sequentem removeat, antecedentem præsupponat. Sed tamen quandoq; ex sententia proferentis, comparatio prioris actu, fit cum posteriori potentia tantum; & contra: diciturq; proximus & postremus etiam si solus sit. *h. l. n. l. proximi. 115. l. in vulgari. 162. in fr. h. tit.* Et supremus non is demum, qui post aliquem, sed etiam post quem nemo sit: sicuti è contrario proximus non solum is, qui ante aliquem, sed etiam is, ante quem nemo sit, intelligitur. *l. ex duobus. 34. in pr. de vulg. & pupill. subst. d. l. qui duos. 9. de reb. dub. l. post consanguineos. 2. §. hæc hereditas. 2. de suis & legit. hered.* Habent duplicem comparationem, cum

eum præcedentibus & sequentibus: sed satis est cum altero comparari actū posse, ut sit comparatio; satis est, proximum dici respectu præcedentium, qui nulli sunt, licet etiam sequentes nulli sint actū, qui tamen esse possent: sic satis est supremum dici respectu sequentium, quos nullos habet, etsi nec præcedentes actū habeat. *d. l. 4. de vulg. & pup. subst. l. illa verba. 161. inf. h. tit.*

Adl. Moventium. 93.

Moventium, item mobilium appellatione idem significamus, si non apparet defunctum animalia duntaxat, quia seipsa movent, moventia vocasse: quod verum est.

Movens dicitur de actū; mobile de potentia. Movens est in prædicamento Actionis, mobile in Passibili qualitate. Sed quia requie alternā carens non est durabile, nec res sunt semper se actū moventes; res moventes illę dicte sunt, quę naturā suā ad se movendum habiles: mobiles autem, quę non quidem ex se habiles movere, sed tamen ab alio moveri. *l. 1. in pr. de edil. ed. l. si quis donaverit. 17. C. de sacros. Eccl. l. si quis ad declinandam. 49. S. & siquidem. 2. C. de episc. & cler. l. id est res mobiles. 2. ff. de supell. leg. Eo pacto omne quidem movens erit & mobile, cū seipsum moveat, & res mobiles erunt vel moventes se, vel mobiles in specie ita dicte; animales, aut animā carentes. *l. 1. § 1. de R. V. d. l. 2. de supell. leg.* At non omne mobile erit & movens, cū aliud sit quo moveatur. Igitur quod Jctus in hac lege scribit, moventium & mobilium appellatione idem significari; prout etiam alibi confunduntur: *l. qui univ. 30. §. item quod mobile. 4. de acq. poss. l. 2. D. Pro. 15. §. in venditione. 2. de re judic. l. fin. §. & intra annum. 1. de requirend. vel abs. damn. ut ut* quoad generalem mobilium appellationem ex ratione prædicta non sit difficile; de rebus tamen moventibus difficultate non caret. Forsan inde hoc erit, quod passibile itidem suum agibile præsupponat, & mobile suam movens. Proinde cū mobile non sit, nisi sit & movens, sive in ipso mobili, sive in alio; nec mobile moveatur etiam ab extrinseco motore, ut non videatur veluti seipsum movere: hæ appellationes, quę tantum terminorum positu differrebant, sunt confuse; præsertim ubi de ipso terminorum positu ista subtilis distinctione opus non erat. Hoc ita, si non apparet, def. n. cum*

Et animalia duntaxat, quia seipsa moverent, moventia vocasse.
h. l. n. Et ita habet lectio vulgata, eademq; vera *Alciat. hic. n. 2. Robert.*
2. recept. lect. 30. Quod si juxta lectionem Florentinam mavelis le-
gere, si tamen apparet, & c. vel necessum est si interpreteris, pro nisi,
cum Gilberto Regio, quę interpretatio Roberto sine autoritate
est, vel subaudias, secus est. *cum Gædd. hic. n. 2. in f.* Moventium appel-
latione possunt tantum animalia contineri ex mente testatoris, quę
verbis prædominatur, maximè quando verborum natura non con-
trariatur. *l. Labeo. 7. de supell. leg.* Mentem testatoris ostendere tene-
bitur, qui super eadem contra communem loquendi usum se fun-
dat. *arg. l. si pactum. 9. de probat.*

Ad l. Verbum reddendi. 94.

*Verbum reddendi, quanquam significatum habet retrò dan-
di, recipit tamen & per se dandi significationem.*

Propriè dare simplicius est, quam reddere. Damus de nostro;
reddimus antea acceptum, & reddendo veluti retrò damus. *l. 1. §.*
elegant. 33. de pos. Differentia hæc vera est, cum dare & reddere op-
ponuntur. Aliàs reddere habet etiam significationem dandi *h. l. n.*
Datio inest redditioni, & qui reddit, etiam dat. *l. cum quidam. 21. de*
leg. 2. l. Lucius. 93. §. 1. l. heres. 100. de leg. 3.

Ad l. Potest reliquorum. 95.

Potest reliquorum appellatio & universos significare.

Reliqui, cæteri sunt, qui ex quibusdam reliqui supersunt. Quid
si omnes supersint? Omnes seu universi poterunt etiam reliqui di-
ci, habito respectu & institutâ comparatione, non cum aliis non
relictis, sed cum nullis. *h. l. n.* Exemplum est in *l. cæterorum. 160. infr.*
h. tit. l. cum optio. 17. de opt. leg. Reliquorum appellatio potest uni-
versos significare: non autem significat semper, sed tum demum,
quando id suadet narrantis intentio, aut materia subjecta. *Alciat.*
hic. n. 4. Addamur dicta ad *l. minus. 32. l. proximus. 92. sup. h. tit.*

Ad l. Litus est. 96.

*Litus est, quousq; maximus fluctus à mari pervenit: idq;
Marcus Tullium aiunt, cum arbiter esset, primùm constituisse.*

Litoris definitio hæc proponitur, & definitionis autor. Litus à

litant-

litando, quòd navigantes eundo ac redeundo. in litore litarent, & sacrificarent; vel rectius à Græco *λίτος*, quòd litus sit terra tenuis, deduci putat Cujac. hic. Borchold. ad §. est autem litus. 3. inst. de R. D. Ab elidendo vel allidendo deducit Gædd. hic. n. 2. in f. quæ derivatio rei etiam propior est. Definitur litus, quousq; maximus fluctus à mari pervenit, exæstuat, excurrit. *h. l. n. l. litus publicum. 12. infr. h. tit.* Imperator in d. §. addit de fluctu hyberno, quia is solet esse maximus ex Plinio Mynsing ib. d. n. 14. Cujac. & Alciat. hic. n. 2. Fluctum verò intellige naturalem, ordinarium & communem, ut litus sit, quâ fluctus, eum maximus est, plerumq; exæstuat. Etenim sive in mediterraneo, sive alio mari, *aliter ac Myns. ad. d. §. n. 15. d. flunguit.* fluctus terras quasdam singulari seu raro quodam impetu inundet, non faciet continuo litus: nec litus, quod olim fuit, si nunc mare & maris fluctus ibi non sint amplius, etiam hodie litus erit. *arg. l. 1. §. ripa. 5. de fluminib. Gædd. hic. n. 3. & seqq.* Autor huius definitionis hîc laudatur Marcus Tullius, qui ipsemet in Topicis Gallum Aquilium laudat. Et verum est definitionem esse Galli, juxta quam Tullius arbiter pronunciavit, pronunciando eandem ad usum accommodavit, eoque pacto litoris definitionem, non verbis, quòd fecerat Aquilius, sed facto & re constituit. Idem juris Javolenus in d. l. 112. inf. h. tit. dicit esse in lacu, nisi is totus sit privatus. Lacus alius publicus, alius privatus est. Lacus publicus perpetuam habet aquam *l. un. §. lacus. 3. ut in flum. publ.* Lacus privatus etiam accipi potest pro lacuna, quæ aquam perpetuam non habeat. *l. foramen. 18. vers. omnes. de servit. urb. præd. arg. l. via. 23. §. 1. de serr. rust. præd.* Lacus publicus est juris publici, ergò & litus. *arg. §. 1. ibi, & per hoc litora. inst. de R. D.* At si lacus privatus sit, nec de eius litore quari est necessarium; postquam eum ipso lacu sit in dominio privati, non tantùm quoad proprietatem, sed etiam quoad usum. *arg. l. 1. §. fluminum. 3. de flum. in b.*

Ad §. Prædia. I.

Prædia dicimus aliquorum esse, non utiq; communiter habentium ea, sed vel alio aliud habente.

Cùm dicimus prædia esse aliquorum, plures designantur res & personæ: quippe numerus uterque pluralis est. At quemodo? autem collectivè? ut intelligamus prædia esse omnium simul, partibus

C

hinc pro indiviso? an singulorum, partibus pro diviso? vel ut
Ictus hic loquitur alio aliud habente? Et quia his verbis modus
certus non exprimitur, & aliqui non tantum conjunctim, sed &
divisim dici possunt; possumus etiam modo utroque intelligere h.
l. n. Particula VEL hic posita est pro etiam, & præsupponit, non
tantum Alciat. hic. n. 8. Nec est hic ordo inversus, ut opinatur Goth.
hic. cum non sit perpetuum, ut huius modi enunciationes, non tan-
tum, sed etiam, ab eo, quod per se omnino confessum est, ad id
quod minus confessum est, assurgant; sed etiam vim æquiparandi
interdum habeant: vide Vallam. 2. eleg. 18. in f. & 3. eleg. 27. in fin. imò
magis confessum est prædia aliquorum esse, quæ sunt communiter
habentium ea, quam cum singula habentur à singulis: Cæd. hic. in
f. cum de singulis objici possit, quod non sint aliquorum, sed unum
quodq; unius domini; quod de prædiis in commune habitis obji-
ci non potest.

Ad l. Cùm stipulamur. 97.

Cùm stipulamur: quanta pecunia ex hereditate Titii ad te
pervenerit: *res ipsas, qua pervenerunt, non pretia earum spectare
videmur.*

Hæc lex enucleata est supr. ad l. pecunie 4.

Ad l. Cùm bisextum. 98.

*Cùm bisextum Calendis est, nihil refert, utrum priore, an
posteriore die quis natus sit: & deinceps sextum Calendarum eius na-
salis dies est: nam id biddum pro uno die habetur: sed posterior
dies intercalatur, non prior: ideo quo anno intercalatum non est,
sexto Calendarum natus, cum bisextum Calendarum est, priorem diem
natalem habet. §. 1. Cato putat, mensem intercalarem addititium
esse, omnesq; eius dies pro momento temporis observat, extremosq;
dies mensis Februarii attribuit Quintus Mucius. §. 2. Mensis au-
tem intercalaris constat ex diebus viginti octo.*

Dies civilis inceptus est pro completo: naturalem oportet
per momenta compleri. l. 2. §. 1. supr. h. tit. Quid ergo cum dies bisex-
tus est? Bisextus dies est, quando dies sextus Calendarum numera-
tur bis; seu cum duo dies numerantur pro uno. Etenim cum an-

QUIR

num decem mensium à Romulo constitutum Numa Pompilius fe-
nuario auxisset, Tiraquell. de retrat. lign. §. 1. gl. 10. in pr. nec tamen
computatione sua propter aliquot dierum defectum circulo solari
æquasset. *l. ita vulneratus. §. 1. §. estimatio. 2. ad leg. Aquil. ne sacra turba-*
rentur, Pontifices non nisi populo calato seu convocato alternis
plerumq; annis mensem decimum tertium super addiderunt, qui
quod populo calato insereretur, intercalaris dictus est. Quam rem
Cajus Julius Cæsar, cum esset Pontifex maximus, existimavit ratio-
ne meliori emendandam, menses diebus augendo, & in specie Fe-
bruarium, qui olim erat dierum 24. auxit diebus quatuor. Verum
cum singulis annis adhuc Solis cursus istam computationem sex
horis superaret (quanquam non integris. Cujac. hic in f.) quarto quo-
que anno diem unum loco mensis intercalaris abrogati surrogavit,
ut ita sextus Calendarum Martii quarto quoque anno bis numeran-
du sit. Alciat. hic. n. 1. & 2. Hoc biduum habetur pro uno die. Ergo
non refert, priori an posteriori die quis natus sit: aut si quis anno
non intercalari natus sit, tamen cum de natali eius in anno in-
tercalari quaritur, priorem diem natalem habet. Quod eò per-
tinet, ut in civilis quidem diei computatione sufficiat primum
diem esse inceptum, etsi quis posteriori natus sit: in naturalis diei
computatione ex adverso ultimum posterioris diei momentum
completum esse oporteat, etsi prioris diei ultimo momento quis na-
tus sit. l. 3. §. minorem. 3. de minorib. Gædd. hic. n. 8. & 9. contra Cujac. hic.
Hoc ipsum Jctus in h. l. confirmat autoritate Catonis & Q. Mutii:
qui de mense quidem intercalari locuti sunt, quod totus computa-
tus fuerit pro momento ultimo diei mensis Februarii: suo sc. secu-
lo, ante Cæsarem. Sed quod isti de toto mense scripserunt, id faci-
lius fuit Jcto nostro ad diem unum porrigere, qui brevitare suâ
momento propior est, quàm mensis integer: præsertim cum is dies
in locum mensis intercalaris sit subrogatus, eiusque naturam exin-
de sapiat. Gædd. hic. n. 10.

Ad I. Notionem. 99.

Notionem accipere possumus & cognitionem & jurisdictionem.

Notiones Philosophis aliæ primæ sunt, rerum ipsarum conce-
ptus; aliæ secundæ, conceptus primarum, quæ spectant ad Logi-
cum

cum. Zabarell. lib. 1. de natura Logic. c. 3. & 10. In jure rerum notiones
eiusmodi sunt oportet, quales & res sunt. Res autem ibidem sunt
humane actiones, quatenus in iis iusti atque iniusti discrimen cer-
nitur. l. 2. in f. de legib. Coras. 1. de juris arte. 9. & 19. Ergo & notiones
in jure non sunt notitiæ simplices, quæ in nuda contemplatione ac-
quiescunt; sed sunt actionum iustè instituendarum gratiâ. Et pri-
vatus quidem quatenus iustum ex seipso in propriis actionibus con-
templatur, aut contemplari debebat, magis ab Ethico informandus
venit. Quatenus autem in republ. vivens legibus obtemperare co-
gitur, omnis notio iusti & iniusti non est privatorum, sed superio-
ris. Picolom. grad. 10. moral. Philoso. 15. & seqq. l. nullus. 14. C. de iud. & ce-
lic. In quaque republica penes summam majestatem est, de re qua-
cunque notio, & eius quod cognovit executio, legum & armorum
sibi invicem adminiculantium curâ; jurisdictio & imperium pr. in
proxim. in f. Notio aut cognoscendo tantum expeditur, aut simul
imperando. Gædd. hic. n. 7. Et de imperio quidem alibi. Jurisdictio-
nis vox ad leges pertinet, & à jure dicundo dicta est. Vvesenb. in pas-
rat. de juris d. n. 2. Jus omne factum præsupponit; nec jus constitui-
tur nisi hominum gratiâ. l. cum igitur. 2. de statu hom. utriusq; & facti
& juris notio est. arg. l. 1. § initio. 4. in f. de off. præf. urbi. l. ex omnib. 10.
de off. præsid. Notio juris, nomen speciale accepit, jurisdictionis,
quæ & principalior & specialior notio: cum jus sine facto nequa-
quam; factum autem & eius notio possit esse sine jure & jurisdic-
tione. Inde simplex notionis seu cognitionis nomen mansit facto.
L. ait Prætor. 5. de re jud. Jurisdictioni quidem notio inest, ut genus
specei, sed est quædam notio per se, cum simpliciter est de facto. d.
l. 5. Quomodo notionem accipere debemus & cognitionem & ju-
risdictionem. h. l. n. Jurisdictionem intellige non tantum illam, quæ
residet in summa potestate seu majestate; sed etiam, quam ab ea-
dem Magistratus quicunque, seu immediatè, seu mediatè; seu pro-
prium seu delegatam, accepit. rubr. & tot. tit. de eo cui mand. est jurisd.
Cognitionem verò qualiter accipiemus? Num pro earum tantum
causarum notione, quæ jure magistratus, & vi jurisdictionis exercet-
tur? cum Gædd. hic. n. 3. ut ita cum huiusmodi cognitio jurisdictioni
inest, Ulpianus noster idem bis repetisse, & verbum cognitionis
frustrâ posuisse videatur? & verbis illis, & cognitionem, & juris-
dictionem,

ditionem, res ut ab invicem distinctas conjunxisse, quæ tamen distinctæ non sint? An cum Scipione Gentile *lib. 1. de jurisd. c. 33.* pro cognitione prætoris seu extraordinaria? ut in *tit. de extraord. cogn. l. in cause. 13. §. fin. de minorib.* utiq; & pro illa, sed non pro sola. Idem enim additur ibidem, de prætoris & extraordinaria cognitione; quia alia sit cognitio non prætoris, sed ordinaria, quæ sc. est iudicium pedaneorum, *l. 2. C. de ped. jud.* quæ & in criminalibus extraordinem mandari potest. *l. soleat. 6. in pr. de off. procons.* Et quod in *l. minor. 39. in pr. de evict.* cognitionis verbum simpliciter positum tantum prætoriam denotat, id ibidem est ex ratione materię subjete, & qua genus pro specie poni potest; non ac si nulla alia cognitionis species sit. Alioqui in *h. l. n.* Ulpianus vitiosus, qui ista ratione notionem à cognitione & jurisdictione distinctam in sua divisione prætermisisset.

Ad §. Continentes. 1.

Continentes provincias accipere debemus eas, quæ Italia junctæ sunt, utputa Galliam. Sed & provinciam Siciliam magis inter continentales accipere nos oportet, quæ modico freto Italiã dividitur.

De ædificiis continentibus dictum aliquid *supr. ad l. 2. De provinciis continentibus* hic definitur. Insulæ Italiæ, pars Italiæ, sunt *l. insule. 9. de jud.* Provinciæ continentales non sunt pars, sed tantum Italiæ junctæ *h. l. n.* Junctæ non humanâ industriã, sed naturã ipsã, à qua & ipsæ sunt provinciæ: quando sc. non reperitur aliquod disjungens, quod sit diversæ naturæ à natura provinciarum, veluti sunt maria. Taliter Italiæ junctæ est Gallia, quæ nullo mari ab eadem se jungitur: Flumina, & hæc quæ aquæ fluminibus sunt minora, provinciarum continentiam non separant: quia nec ipsam Italiam à semetipsa flumina, quæ in eadem sunt, separare possunt. Quid si fretus modicus sit? Utiq; nec jungere is propriè potest, cum flumine major sit; nec disjungere, cum non sit tantus, qui omninò continentiam separare valeat. Sed tamen magis esse vult Jctus, ut non disjungat, veluti Siciliam ab Italia. *h. l. n.* quæ & olim simpliciter continens fuit, & annexa Italiæ. *Cujac. hic.* Cuius distinctionis usus est in tempore dilationum. *l. oratione. 7. de feriis & dilat. l. 1. C. de dilat.*

Ad §. Instrumentorum. 2.

Instrumentorum appellatione qua comprehendantur, per quam difficile erit separare: qua enim proprie sint instrumenta, propter qua dilatio danda sit, inde dignoscemus, si in presentiam persona, qua instruere possit, dilatio petatur: puta si actum gessit, licet in servitute, vel qui actor fuit constitutus: putem videri instrumentorum causam peti dilationem.

Instrumentorum appellatione per se que comprehendantur, non adeo difficile est definire; omnia sc. quibus causa instrui potest, tam testimonia, quam personarum. l. i. de fide instrum. dixi ad l. cognoscere. 56. sup. h. tit. Sed cum ista definitio applicanda est facto, & separandum, que ad casum propositum nominata instrumenta videantur ad causam instruendam facere, & sic instrumenti nomen mereri, que non; hoc Ulpiano ipsi est perquam difficile regulam quadam certa determinare: quia res facti est, juris definitioni peregrina. l. i. §. quorum. 4. ad Turpil. Proinde hoc annititur magis declarare exemplo. Dilatio non temere danda est. l. a procedente. 4. C. de dilat. Dabitur temere, si detur pretextu instrumentorum, que tamen non faciunt ad causam instruendam. Ibi statim quaestio, an faciant ad causam informationem? Et hoc determinandum est ex circumstantiis. Non tantum testimonia causam instruere possunt, sed etiam personarum. d. l. i. de fide instrum. Si nunc de actu quaestio sit, quem absens gessit, aut actor constitutus fuit, quorum prius ad factum, posterius ad jus pertinet; Cujac. hic. & in eius presentiam petatur dilatio, id est, ad id, ut praesens sistatur. Aciat. hic. n. 21. putat recte Ulp. concedendam dilationem: quia sc. ab ipso melius causa instrui potest: qui ipsemet gessit, aut actor fuit constitutus, quam ab alio quocunque: & melius a praesente, qui de omnibus iudici respondere tenetur, de quibus rogatus fuerit, quam si absens ea tantum, quae ipse voluerit, dixerit: quiq; saepe non dicere tantum, sed & respondere tenetur, ubi res ex inspectione oculari magis elucescit: & ex cuius aspectu, oculis, vultu, constantia, vel tirbatione Iudex testimonii fidem augere vel minuere potest. l. testimonium. 3. §. Gabino. 4. de testib. Quid si actori aut gestori objiciatur, actum ab ipso in servitute gestum? Et ubi de causa tantum instruenda agi-

enr nihil refert: quia hic agitur de juris solemnitate, sed de facti
veritate, quæ est res naturalis, cuius & servus manet particeps. l.
quod attinet. 32. de R. I. Gæd. l. hic. n. 5. Alciat. n. 22.


Adl. Speciosas. 100.


*Speciosas personas accipere debemus clarissimas personas u-
triusq; sexus: item eas qua ornamentis senatoris utuntur.*


Nemini dubium est in multis juris articulis personarum ob-
servari differentiam, & in aliis aliud juris esse. l. quod & . 3. §. si tamen
plures. 12. de lib. hom. exhib. l. si plures. 16. de accusat. ista differentia, ut
ex certa juris ratione promanat, sic oportet & differentes esse ista-
rum personarum appellationes, & appellationum intellectus; ne
sublato vocabulorum discrimine in rebus ipsis & personis sequatur
confusio. Hac ratione personæ quædam appellantur speciosæ.
Speciosas personas Jctus accipiendas docet de clarissimis. h. l. n.
Clarissimus species dignitatis est. Clarissimus dignitas genera-
liter accepta gradu prima videtur, post quem Equites Romani se-
cundum obtinebant, l. un. C. de equest. dign. lib. 12. ultimum autem in
perfectissimus dignitate constituti. Clarissimus dignitas erat
senatoria dignitas, & Senatores clarissimi. Cujac. hic. Præfecti præ-
torio olim ex equitibus eligebantur, & erant clarissimis inferio-
res, ita ut si quem præfectura prætoriana privare Imp. vellent, ei
lati clavi honorem, id est, senatoriam dignitatem concederent.
Alexander verò, nequis non-Senator de Senatore judicaret, suis
addidit prætorio præfectis senatoriam dignitatem. Pet. Fab. 1. Semest.
1. & 2. Postea & ipsamet clarissimus dignitas in plures gradus
subdistingvi cœpit, ut alii essent superillustres, illustres, spectabi-
les & simpliciter clarissimi. §. in summa. 10. inst. de injur. l. 2. C. ut dign.
ordo serv. Duarenus. 2. disp. ann. 1. Isti tamen omnes & speciosæ & cla-
rissimæ personæ dici possunt, cum genus insit speciebus, nec spe-
ciali nomine invento generis nomen perimatur. Ita rectè clarissi-
mæ personæ in h. l. n. accipiuntur de quibuscunque clarissimis; ne-
quaquam verò de spectabilibus tantum: contra ac docuit. Alciat. 3.
disp. an. 4. Utrum verò speciosas personas tantum accipimus de
ipsis, qui suâ virtute clarissimus dignitate gaudent, an & de illis,
qui

603
qui aliorum dignitatis radiis splendescunt, seu masculi sint, seu
fœmina, veluti liberi, uxores Senatorum? Et Ulp: determinat de
sexu utroque, ut sc. speciosa sint eadem ratione, quã & clarissime.
l. fin. de Senator. Imò & de illis alleverat, qui cum Senatores non
sint, ornamentis tamen Senatoriis utuntur. Ornamenta Senato-
ria Cujac. *hic.* fuisse ait, latum clavum, jus sedendi in orchestra,
jus epulandi publice, jus petendi honores. Latum clavum fuisse,
ait, tunicam palmatam, tunicam latis purpureisq; clavis ornata:
Equites vero angusto tantum clavo usos. *vide etiam Hotm. in Lex.*
verb. clari & latus clavus, Goth. ad l. nuper. 42. de donat. inter vir. & ux.
Senatores tamen in magno & publico lectu vestem mutasse, eque-
streque habitum, id est, lato clavo deposito, angustum adsumisse
notavit idem Fab. *d. c. 2.* Ornamentis Senatoriis etiam non-Sena-
tores quandoque utuntur licito jure, veluti salvã existimatione &
velut honesta missione Senatu moti: item Tribuni militum lati
clavii. *l. 4. C. de milit. test. Cujac. hic.* Quod hodie ad usum accom-
dari posset, si quæstio occurreret de eo, qui ut emeritus vel alia
honestã de causa bona cum gratia Principis dimissus, aut Sena-
tu motus, an retineat habitum priorem, jus sedendi, & alia
ornamenta.











AC CARCERES IN CAUSA DEBITI

sonalis arresti gratia secessionem fecerit eum in cambiale usu vel lege *haud inuictum*; nihilo valide cambialiter conveniri posse, docet BEI For. Tit. V. 3. n. 4. p. 137. Conf. BARTH. Ho IV. §. 4. p. m. 833.

8) In litteris cambii *non requiritur jam facta de excussio* jure Saxonico et aliorum locorum leg cambium et pactum obligationis ad carcerem c xonia.

9) In iisdem igitur *nec bonorum cessio* liberat a ca Conf. b. ABR. KAESTNERI disp. *de obligatione causa debiti*. Lips. hab. 1723. et V. C. IOH. FRI de pecunia mutuatia tuto collocanda. Cap. III jus autor exquisitoria tradit, quam inscripti promittit.

§. CXVIII.

Obligatio ad *obstadium* etiam ab obligatione d rem est diversa. Illa enim, nomine ante diem nei bitor interpellatus *diversorium publicum ingredi*, in fere, donec creditori satisfecerit, obstringitur. Q cum designatum *haud ingreditur*, per sententiam ob gitur et quidem cum comminatione poenae *des Schu* tenia ita habet: *Ist beklagter also fort nach Insin nach den öffentlichen Gast-Hof N. zubegeben und das gestellte Einlager zu halten schuldig, mit der Com dem nicht also nachkommen wird, daß auf den fall des Schuld-Thurm ietzt alsdann und dann als ietzt g auf fernar gegen ihn ernstlich verfabren werden soll.* obstadium hodiernum in terris *Sleswico-Holsaticis*, Ha re constat. CAROLUS V. Imp. litteris civitati *Gelnhaus* bus *Spirensibus* an. 1349. datis se ipse ad obstadium

K 3

